



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Simeon Conf. 26. Iulii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

sum audit non hymenæum. Vix hanc pugnam castitas pugnavit, cum altera excipit Victricem. Despondent iterum homini **GLODESINDEM**, & melioribus jam, ut ipsi putabant, auspiciis. Quid ageret pudor his proditus? more Parthi fugiendo vincit. ad **D. Stephani** contendit, asylon aramprehendit, & quem unum deperibat, Sponsum **IESVM** complectitur. Hederam viti illigatam dixisses. Et jam septimus dies ierat, & Virgo cæli deliciis plena non fenserat famem, cum apparantur palam & in conspectu populi nuptiæ placituræ tandem ipsi etiam Virgini. Adfunt è cælo nitidissimi duo Ephebi Paranymphe, tertius flammeo inde etiam allato non repugnantem obnubit, jamque urbe attonitâ, jam parentibus etiam gaudentibus, **GLODESINDIS** in thalamum suum (Virginum Collegium) abducitur. Ex *Surio.*

S. SIMEON CONF. 26. Iulii.

Mundum omnem suis beneficiis obambulare voluisse **SIMEON** videtur, etiam postquam exivit è mundo, & vel inter Monachos vel Eremitas vixit. Inter hos agenti cum famelica ultima minaretur, cervus Divo sponte suâ victimam se stitit. Hierosolymæ hospes cum degeret, malos hospites

tes Dæmones septem sibi fecit cedere, Romæ hæreseos accusatus, accusatorem, quem malus genius corripuerat, precibus suis reus absoluit. Plura alia mira cum celebrem illuc facerent, honores fugâ elusit. Fugientem cum Monachi ex itinere verberibus malè accepissent, coniectique eam ob rem in vincula ab Episcopo fuissent, SIMEON noctu hostes suos è carcere exemit, & gloriolam iterum fugiendo vicit. Pisas cum ingrederetur, obvium è Styge nuntium habuit illud rogantem: *quò tendis Monache?* SIMEON hoc tantum respondit, *quò me Christus duxerit*, & ecce molestus rogator viam suam illico in orcum relegit. Hinc Lucam venit. Ibi cum Iudæorum Antesignanum bellum Virginitati DEIPARÆ moventem morte subitâ sterneret, reliqui manus dederunt. Placentiæ noctu oraturum suo pte motu apertum templum recepit. Padum pedes trajecit tam citò ut velis & remis usum crederes. Iamque quocunque iret, è viâ morbi cedebant. Sed nos sistimus calamum fessum. Tu quoque Lector, ne orbem nobiscum perambulare cogaris, similia illum in Galliis & Hispaniis factitasse puta. *Ex Ferrar.*

S.PAN.